

Petrus de Vinea

*Ep. I 2 (Illos felices
describit antiquitas...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 2 (Illos felices
describit antiquitas...)*

1246, ante febbraio

Querimonia Fridericus, regibus et principibus mundi, ut non obediant papae et cardinalibus, eo quod sunt Christianorum elemosinis impinguati.

1. Illos felices describit antiquitas, quibus ex alieno prestatur cautela periculo. Status namque sequens formatur ex principio precedentis, et ut impressionem cera recipit ex sigillo, sic humanae uitae formatur mortalitas ab exemplo. 2. Hanc utinam felicitatem nostra serenitas pregustasset, ut cautelae solertiam, quam uobis, o Christiani reges et principes, ex nostra maiestatis nimia lesione relinquimus, nobis potius Christiani reges et principes reliquissent! 3. Porro, quia clerici censentur pauperum elemosinis impinguati, filios opprimunt. Ipsique nostrorum filii subditorum paternae condicionis obliti, nec imperatorem nec regem aliqua ueneratione habere dignantur, quotiens in patres Apostolicos ordinantur. 4. Quod autem ex circumlocutionibus nostris innuitur, ex Innocentii papae quarti presumptione probatur, qui, uocata synodo, ut asserit, generali, contra nos non uocatos, nec super aliqua fraude uel prauitate deuictos, ausus est sententiam depositionis statuere, quam preter omnium regum enorme preiudicium non poterat stabilire. 5. Quod enim uobis et singulis regibus singularum regionum, a facie tanti principis sacerdotum timendum non superest, si nos et principum electione sollempni, et approbatione totius Ecclesiae ac Christianae fidei religione uiuentium, imperiali diademate diuinitus insignitos, et alia regna nobilia magnifice gubernantes ille deponendos aggreditur, cuius, quo ad imperiale diadema, non interest aliquid in nos exercere rigoris, etiam si causae legitimae probarentur. 6. Verum, quod sacerdotalis sic infestat

abusio potestatis, a summo nos conatur precipitare deorsum, nec primi sumus nec ultimi. Et haec quidem uos facitis obedientes, religionem simulantibus sanctitatis, quorum sperat ambitio, quod totus mundus influat in os suum. 7. O si uestrae credulitatis simplicitas, a scribarum et Phariseorum fermento, quod est hypocrisis, iuxta sententiam Saluatoris, sibi curaret auertere, quot illius curiae turpitudines execrari possetis, quas inhonestas et pudor prohibet nos affari? 8. Sane redditus copiosi, quibus ex plurium depauperatione regnorum ditantur, quemadmodum ipsi nostis, ipsos faciunt insanire. Apud uos Christiani mendicant, ut apud eos Patareni manducent, ibi uestras domos obstruitis, ut illic aduersariorum oppida construatis. 9. Sic de uestris elemosinis impinguati, tales Christi pauperes sustentantur, qui beneficii compensatione, ea saltem gratitudinis exhibitione uobis se prebent obnoxios, quod quanto manus eis indigentibus liberaliores extenditis, tanto non solum manus, sed etiam manus et cubitos audius apprehendunt, suo uos laqueo detinentes, sicut auiculam, quae quanto fortius ad euasionem nititur, tanto firmitus alligatur. 10. Haec uobis ad presens scribenda curauimus mittere, insufficienter exprimentia uotum nostrum. Cetera uero secretius intimanda decreuimus, uidelicet in quos usus diuitias pauperum expendit prodigalitas auarorum, quid super imperatore comperimus eligendo, nisi pax, quam per magnos mediatores intendimus reserare inter nos et Ecclesiam, saltem superficialiter reformetur, 11. quid de regum omnium communibus specialibusque negotiis exponere intendamus, quid super insulam Oceani fuerit ordinatum, quid contra principes uniuersos quibusdam consiliis et negotiis, quae nos, qui nonnullos habemus ibidem

familiares et subditos, licet clandestine, latere non possint, illa curia machinatur, quid omnes, tot uiribus, tot uirorum insidiis, quos habet instructos ad bella, in hoc ipso iure quod instat, qui nunc nos opprimunt, uos opprimere posse speramus. 12. Quod autem ... et ..., fideles nostri, latores presentium, uobis retulerint, certe credatis, ac etiamsi sanctus Petrus iurasset, firmissimum reputetis. 13. Nec propter hoc, quod a uobis petimus, uideatur uobis, quod propter illatam in nos depositionis sententiam nostrae magnanimitas maiestatis aliquatenus incuruetur. 14. Habemus enim conscientiae puritatem et, per consequens, Deum nobiscum: cuius testimonium inuocamus, quia semper fuit nostrae intentio uoluntatis, clericos cuiuscumque religionis ad hoc inducere, et precipue maximos, ut tales perseuerent in fide, quales fuerant in Ecclesia primitiua, Apostolicam uitam ducentes, et humilitatem Dominicam imitantes. 15. Tales namque clerici solebant angelos intueri, miraculis coruscare, egros curare, mortuos suscitare, et sanctitate, non armis sibi principes subiugare. At isti, seculo dediti, delitiis ebriati, Deum postponunt, quorum ex affluentia diuitiarum religio suffocatur. 16. Talibus ergo subtrahere nocentes diuitias, quibus dampnabiliter onerantur, opus est charitatis, potius quam erroris. Ad haec uos, omnes principes, una nobiscum, ut cuncta superflua deponentes, modicis rebus contenti, Deo seruiant cui seruiunt omnia, omnem debetis diligentiam adhibere.